

inpulit his cingi telis aut quo ruis?' inquit. 520
 'non tali auxilio nec defensoribus istis
 tempus eget, non si ipse meus nunc adforet Hector.
 huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
 aut moriere simul.' sic ore effata recepit
 ad sese et sacra longaevom in sede locavit. 525

Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
 unus natorum Priami, per tela, per hostis
 porticibus longis fugit et vacua atria lustrat
 saucius. illum ardens infesto volnere Pyrrhus
 insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta. 530
 ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
 concidit ac multo vitam cum sanguine fudit.
 hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
 non tamen abstinuit nec voci iraeque pepercit.
 'at tibi pro scelere' exclamat 'pro talibus ausis, 535
 di si qua est caelo pietas, quae talia curet,
 persolvant grates dignas et praemia reddant
 debita, qui nati coram me cernere letum
 fecisti et patrios foedasti funere voltus.
 at non ille, satum quo te mentiris, Achilles 540
 talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
 supplicis erubuit, corpusque exsanguē sepulcro
 reddidit Hectoreum meque in mea regna remisit.'
 sic fatus senior telumque inbelle sine ictu
 coniecit, rauco quod protinus aere repulsum 545
 ex summo clipei nequiquam umbone pependit.
 cui Pyrrhus 'referes ergo haec et nuntius ibis
 Pelidae genitori. illi mea tristia facta
 degeneremque Neoptoleum narrare memento.
 nunc morere.' hoc dicens altaria ad ipsa trementem 550
 traxit et in multo lapsantem sanguine nati
 implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
 extulit ac lateri capulo tenuis abdidit ensem.
 haec finis Priami fatorum, hic exitus illum
 sorte tulit Troiam incensam et prolapsa videntem 555
 Pergama, tot quondam populis terrisque superbum